



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCVI. Pharisæi & Sadducæi signum è Cælo postulant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

semper abundabimus: cùm econtrario alij etiam multis, quæ habent, nunquam satientur. Ut hocce & tè agnosceremus, ideo altera jam vice paucos panes & pisces Christus miraculosè multiplicavit. Iterum verò reliquiarum multitudine, earumque collectio ne, docemur, quomodo DEVS non tantum ad sufficientiam, sed etiam ad abundantiam erga nos fit liberalis, & velit, ne Dona sua interire sinamus. Sumus ergo & nos simili modo liberales erga DEVUM, & non tantum ex obligatione Præcepti debita, sed etiam supererogatoria libenter præstemus: nullasque Gratias, & Auxilia perire patiamur. Nota, parvulos & mulieres hic in numero non haberi; id enim solum merentur illi, qui sunt Masculæ & adultæ Virtutis, ut inter sequentes Christum numerentur: ideo dicitum est: *Extra parvulos & mulieres.*

M E D I T A T I O CCCVI.

Pharisæi & Sadducae signum è Calo postulant. Matth. 16. v. 1. Marc. 8. v. 11.

PUNCTUM I. *Et dimissâ turbâ ascendit in naviculam, & venit in Fines Magedan.* Matth. 15. v. ult. Marcus c. 8. v. 10. ait: *Venit in partes Dalmanutha:* quod vel est oppidum vicinum, vel est idem locus utroque nomine insignitus. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducae intentantes:* & rogaverunt eum, ut *Signum de Calo ostenderet eis.* Matth. 16. v. 1. Idem petierunt etiam alijs Matth. 12. v. 38. Existimabant enim, id Christum posse, & ideo Miracula patrata posse contemni, tanquam ope dæmonis facta. An non aliorum egregia facia-

facta & dicta ipse quoque apud alios studes extenuare , ac parvi pendere , vel in alios , tanquam in illorum Autores referre , veluti si hi , quibus suam laudem invides , ab alijs descripsissent , vel accepissent , quæ ipsi ex suo ediderunt ? Phariseos etiam imitantur , qui non contenti illis medijs Salutis & Perfectionis , quæ Dei ipsis providit , alia & alia petunt , alia loca , alia officia &c. qui tamen potius uti deberent iis , quæ habent : cum certum sit , quod , si his non utantur , alijs æquè parum sint usuri : sicut nec Judæi crediderunt , signis de Cælo ostensis , nempe visæ novæ Stellæ in Nativitate Christi , apertis Cælis & auditæ Cælesti voci in Baptismo Christi , obscurato Soli in Morte Christi .

PUNCT. II. *At ille respondens ait illis ; Facto vespere dicitis : Serenum erit ; rubicundum est enim Cælum. Et manè : Hodie tempestas ; rutilat enim triste Cælum. Faciem ergo Cæli dijudicare nō possumus ; Signa autem temporum (post quæ ex Vaticinijs Prophetarum Ego Messias venturus eram) non possumus scire ? Simili reprehensione (quæ per interrogationem expressa fuit) dignus es , majorem industriam scientijs acquirendis , quam Cælestium rerum cognitioni impendens ; magisque curiosa , quam utilia ad Salutem addiscens ; magis callens sapientiam mundi , quam Christi ; magis intelligens modum augendi res temporales , quam Virtutes .*

PUNCT. III. *Et ingemiscens Spiritu , ait : Quid generatio ista Signum querit ? Amen dico vobis , si dabitur generationi isti Signum (nisi Signum Jonæ prophetæ , per Christi Resurrectionem implendum . Matth. 12. v. 39. &c. 16. v. 15.) Et dimittens eos , ascendit iterum natum , & abiit trans fretum . Marc. 8. v. 12. Sic per cordis*

duritiem & obstinationem, DEVm, Auxilium Divinum, Inspirationes internas &c. à nobis repellimus sic gemitu digna est cœcitas nostra, dum sæpe non agnoscimus bona, quæ negligimus, & mala, quæ nobis consciens: agnosceremus autem, si oblatis Auxilijs uteremur. Christus, cùm videret miraculo Signo de Cælo opus non esse, illo abstinuit, & neque ad ostentandam suam Potentiam, neque ad amolendam à se suspicionem alicujus impotentiæ ac infirmitatis, vel commercij cum dæmone in præcedentibus suis Miraculis, neque ad horum vilipensionem cavendam quidquam fecit; ut & nos nihil ageremus, vel ad æstimationem nostrâ augendam, vel ad contemptum effugiendum.

M E D I T A T I O CCCVII.

*Discipulorum diffidentia,
& solicitude inianis reprehensa.*

Matth. 16. v. 5. Marc. 8. v. 14.

PUNCTUM I. Et cùm venissent Discipuli ejus transfratum, oblii sunt panes accipere: qui dixit illis: *Intuemini & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducaorum.* Illi cogitabant intra se, dicentes: quia panes non accepimus. Matth. 16. v. 5. Nimius amor & cura sui, ne quid unquam desit, quâm est contrarius Confidentialiæ in DEVm? Unde de hac mox reprehensi, & ad Fiduciam ex memoria Divinæ Providentiæ & Bonitatis exacti sunt Discipuli à Christo: *Sciens autem JESVS dixi illis: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei: quia panes non habent?*